



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Opvs De Iudiciis Divinis, Qvae Devs In Hoc Mvndo Exercet

Accessit index concionatorius in omnes totius anni dies Dominicos &
Festos, ab ipso Auctore confectus

Stengel, Georg

Ingolstadii, 1651

Capvt XXXVIII. Ephræemo iuueni, Diacono, item Ioanni Eremitæ, alijsq[ue]
iustè vtiliterq[ue] immissa carceris calamitas, ob aliam tamen caussam,
quàm quæ eos capiendi occasio fuit.

urn:nbn:de:hbz:466:1-45699

& gallina plumam capiunt, & numquam illis pluma deficiunt. Hoc ego testor, propterea quod vidi, & interfui, plumamq; mecum fero.

CAPVT XXXVIII.

Ephraemo iuueni, Diacono, item Ioanni Eremita, alijsq; iussu utiliterq; immissa carceris calamitas, ob aliam tamen causam, quam qua eos capiendi occasio fuit.

Historiam quam narraturus sum, ex parte Surius è Simone Metaphraсте, ad longum autem is qui opera S. Ephraem edidit, eamq; ijs adiunxit, imò ipse S. Ephraem, itemq; indidem Matthæus Raderus noster paulò Latiniùs descripsit, retulitq; & Io. Nieß. Est autem historia de sancto Ephraem, quem Deus miraculis, Ecclesia nomine *Sancti* illustravit, & teste S. Hieronymo, Diaconum Edessenum, Anno Christi 365. sub Valente Principe mortuum, tanti fecit, vt eius opera, quæ sanè plurima scripsit, in Ecclesijs, post lectionem Scripturarum, publicè legi solerent, quemadmodum supra notauimus. Hic Ephraem Syrus ortus Christianis parentibus, ab infantia ad virtutem educatus fuit, assuetusq; malorum æqualium falsa contubernia vitare. Torum illius studium erat, meditatio diuinarum litterarum, quæ illi inter summas delicias habebatur; nec ei quidquam dulcius fuit, quàm sacra verba ruminare. Mirus in eo laboris amor; sollicita orij fuga; ieiunij, vigiliarum, humicubationum acris cura: benignitas, lenitas, humilitas, abiectio opum, paupertatis cultus, fides, spes, charitas vbique ardentissima. Lachrymæ illi perpetuò fluebant ex oculis, adeò, vt perennis fontis scaturigo citiùs defecisset. Vnà cum lachrymis emittebantur etiam gemitus, ostendentes intus ardentem ignem conpunctionis. Vt se ab hominibus mundanis *elongaret fugiens*, in solitudine habitauit, mutatis tamen subinde alijs atque alijs locis, vt vbique virtutem seminaret. Impulsus est aliquando diuino spiritu, vt in patriam suam Edessam proficisceretur, tum ad sacras reliquias, tum ad loca sancta visitanda, tum vt in aliquem eruditum virum incideret, quem admodum orauit Deum, à quo aliquid disceret, quod ad animæ suæ instructionem pertineret. Ingressus ciuitatis portam totus in eo erat,

I.
Surius 1. Febr.
Matth. Rad;
2. p. Virid. die
1. Febr.
Ioan. Nieß,
in Alphabe-
tho Christi,
Littera N.
S. Hieronym.
lib. de script.
Ecclef.

II.
Psal. 54. 8.

eo erat, ut, quid cum tali viro sanctis moribus aptissimum colloqui vellet, cogitaret. Sic cogitabundo statim prostituti pudoris mulier occurrit, in quam Ephraem, cum sic præter spem incidisset, constitit, defixis eam intuens oculis, & quasi emotæ mentis tristisq̄, quod non, ut precatus fuerat, sed contrarium potius evenisset. Formina, cum sic ab eo se vidisset curiosè obseruari, noluit superari curiositate, quare in eum vicissimè oculos amatorie coniecit, petulantiam ipso vultu professa. Diu sic fixi steterè, atque se inuicem aspexè, diuersis tamen de causis. Nam illa corpus, Ephraem animam cupiebat lucrari. Quare ut eam in ruborem daret, atq; ad verecundiam, quæ mulieres maximè decet deduceret: *Quid verò, inquit, non erubescis, mulier, tam fixis oculis me intuens? Quid expectes? linguam, tamquam sicam, mulier habet in promptu.* Exemplò igitur ait: *Conuenit mihi te sic aspicere, ex te enim sumptus sum, & tuo latere. Te verò, non nos, sed terram potius oportet aspicere, ex qua ipse sumptus es.* Hæc cum Ephraem, præter omnem expectationem, audiisset, mulieri confessus est, magnas se habere gratias, propter eam, quam ab ipsa acceperat, sermonis utilitatem. Deoq̄ etiam gratias egit, qui per ea, quæ præter spem accidunt, sæpe potest facere, quæ ipsam spem superant.

II.

Hoc in vita illius non exprimitur, sed in operibus ipsi Ephraem ab ipso met narratur tom. 2. p. 162. tom. 3 p. 599.

Videtur Dei erga Ephraem curam? videtur, qualis Ephraem ipse fuerit? Audite nunc quæ Deus huic viro permiserit contingere; immò quæ immiserit adhuc inueni, & audite ipsum apud suprâ citatos scriptores, his ferè verbis ea enarrantem. A parentibus in suburbium missus aliquando, in medio nemore, à nocte oppressus sum. Opiliones, qui gregem in silua pascabant, occurstantes quærunt, quò sub imminentem iam noctem tendam? Missu parentum, inquam, ad suburbium illud propero. Diuertè, inquam, ad nos; occiduum iam solem vides, prima luce reliquum viæ decurres. Victus humanitate, pastorum mapalibus successi. Sed, intempesta nocte, ouilib. insidiata feræ gregem inuasere, tota silua distulere. Postera die magistri pecoris caulas inanes conspicati, me furibus ducem rati, nequidquam diuim hominumq; fidem implorantem prætori vinctum sistunt, qui custodiæ mandatum, duobus reis adiunxit, quorum vterq; exors criminis, cuius affinis putabatur; occulta tamen vindicta Numinis utramq;

nis vtrumq; prosequente, in suspicionem alter cædis, alter adulteri incidit. Iam quadragesimum diem in carcere trahebam, cum se dormienti species ephebi vultu formidabilis offert, qui me tamen placidè affatus: Ephram, inquit, quis te casus tulit in vincula? Domine, inquam, aspectu tuo percussus totis artibus contremisco, fatiscoque. Pone metum, inquit, & causam vinculorum expone. Domine, inquam, missu parentum in suburbium festinabam, sed tenebris occupatum custodes pecoris in tugurium inuicarunt; interim de nocte gregem lupi inuadunt, ac tota silua dispergunt. Hinc ego, postera luce, à pastoribus arbitrantibus, ductu meo prædones ad quilia penetrasse, ad prætoria vincitus, quamuis insons meramque calumniam passus, raptus sum. Heu quali me portento inuoluit fortuna? an potius Deus, sine cuius aut nihil accidit?

Quid hinc vltèrius Ephram vel dicere potuerit, vel cogitare, facile quis de seipso conijciat. Nam iam parentum, ex amissione filij tam chari, dolor illi ob oculos versabatur; iam carceris pædor, & diurnitas; iam innocentia conscientia certò scientis, se hic ream non esse; iam torturæ metus; iam malicia aut suspicio tam perniciosa pastorum; iam iudicis seueritas; iam ipsius Dei omnia videntis, & prohibere tantam iniuriam potentis, durissima permissio. Multi vsque ad impatientiam, & blasphemias prorupissent, dixissentque, *Qui non deliquit, decet Audacem esse confidenter pro se, & proteruè loqui.* Non fecit tamen hæc Ephram. Sed se sua que omnia Deo permisit, & ad preces confugit; mansuetaque oratione ephebo querelam obtulit, se esse innocentem. Hic mihi iam adeste, quicumque vos sine peccato esse putatis, & innocentiam semper obtenditis, Deumq; de iniustitia, & peccato arguere vultis, quoties vobis aliquid est patiendum; quoties contumelia, iniuriaque irrogatur; quoties filius moritur; aut villa incenditur. Nimirum *nulli mortalium iniuria sua parua videntur; multi eas grauius aquo habuere.*

Plant in Ambr.
phitr.

Sallust. in
Catilin.

III.

Angelus (aliud enim non fuit Ephebus ille) audita adolescentis Ephram querela, renidenti vultu: Noui, inquit, ego te extra crimen hoc positum, impactamque tibi puram putam calumniam; sed nondum satis versatus es in diuinis iudicij agnoscendis.

K k k

scendis.

Senec. lib. 1.
de ira.

scendis. *Nemo inuenitur, qui se possit absoluerē, & innocentem quisq, se dicit, respiciens testem, non conscientiam.* Disce ergo iustum esse tribunal Numinis, nihilque, sine graui causa, malorum hominibus immitti. Talibus semper hominem vel erudit, vel polit, vel plectit. In plurimis id euenit.

Nec enim fortuna querenda

*Sola tua est: similes aliorum respice casus,
Mitius ista feres.*

Exemplo sint gemini illi iuxta tecum vinculis constricti, ambo eius, cuius insimulantur, noxæ immunes, sed percunctatus intelliges, cur illos in custodiam æquitas diuina dari permiserit. Hæc fatus adolescens, ex oculis abiisse visus est. Expergefactus ego simulæ dilaculauit, compello vtrumque. Qui vos, inquam, fratres in hanc caueam casus compegit? Cædis, inquit alter, accusor, & eadem nullam vumquam feci. Ego, alter inquit, alterius violasse torum dicor, cum feminam alienam numquam attrecta-
sim. Enim verò quid aliàs à vobis olim peccatum est? aut cuius causa in has ærumnas permissu Numinis deuoluti estis? Ante non multos dies (inquit ille falsæ cædis reus) cum extra moenia fluminis pontem impositum transirem, secuti me alij duo in ipso ponte altereari cœperunt, gliscenteque sensim rixâ ad manus venere, vbi valentior alterum de ponte in subterfluentem vndam præcipitavit, & se subduxit: Ego propter aluceum inambulans illi cum fluctibus luctanti, opemque meam vltimis vôtis & lachrymis suppliciter imploranti manum facilem non porrexi, passus infelicem diu multumque frustra contra torrentem niti, & me præsentem, spectanteque, vorticibus fluminis abripi & hauriri. Hinc, opinor, ira caelestis me iuste persecuta in hos calumniæ casses & vincula coniecit. Dein alter falsa adulterij suspitione circumuentus: Et ego, inquit, mecum vobis facinus exponam: Biennium est cum gemini fratres defunctis parentibus amplissimam hæreditatem adierunt, à quibus, nondum diuisa sorte, soror orba & vidua suam partem exigebat, quam inficiaturi sororem inkituerunt calumnijs opprimere. Fornices innocenti vagamque libidinem obijciunt; negare illa, & iureiurando affirmare, se puram & omnis culpæ expertem; instare illi, se testibus conuicturos, nocentemq;

patri-

patrimonio exturbaturos. Benè sibi conscia soror condicionem admittit. Conueniunt me fratres, paciscuntur quinquaginta aureos in calumniam, spondeo, præsentibusque fratribus & sorore, alijsque testibus, iureiurando confirmo, scortum esse, eiusque rei me conscium iuro deieroque. Ita mulier paterna hæreditate & patrimonio spoliata est; & simul innocens per nos infamiâ notata. Hoc meum facinus, adulterium, de quo postulor, numquam cogitavi. Et te, inquit, quæ causa nobis socium vinculorum adduxit? Narraui de ouium grege à feris direpto meque eo nomine inculpatum esse.

Postridie prætor fontes ad Tribunal sisti iubet, & quæstionibus subijci. Primus de cæde & vi appellatus constanter negat factum. Torqueri iussus eadem constantia perseverat in tormentis. Soluta primo, secundus pro adultero habitus ducitur, pari que ratione tortus adulterium inficiatur. Ego interim metu propè examinatus trepidabam & pauebam, magnamque vim lachrymarum profundebam, ut qui perinde me, ac cæteros ad supplicium quæstionum adductum scirem. Quin & lictorum turba me lamentantem petulanter irridere, & dictis incessere. Serò ploras, improbe puer, tum plorandum erat, cum scelus admisisti, iam nunc in medium & tu proditurus es. Quæ vox adèò vulnerauit animum meum, ut tantum non defectus ante mortem morerer. Tandem pronuntiatâ in duos sententiâ, videri Innocentes, absoluti sunt, ac dimissi. Ego imperio prætoris reductus in custodiam. Alteros 40. dies ibidem exegi, cum tres alij in eundem meum carcerem compinguntur, reuersusque ad me ille adolescens, qui mihi per quietem visus erat, & Ephræm, inquit, percontatus es ex duobus illis, quid peccauerint? Ego verò, inquam: & prolixè exposui omnia, quæ ab ijs didiceram. Intelligis ergo Iudicia Dei iusta? En duo hi gemini illi fratres sunt, qui sororem falsa stupri criminatione oppressam bonis paternis exuerunt. Tertius est ille, qui de ponte hominem in flumen deiecit, cuius vi ac impetu abreptus interiit. Ego mox ut illuxit, adortus singulos, de singulis quæstioni, qua culpa fuerint comprehensi; & in neruum dati? Cum alij cædem falsam, alius adulterium nequidquam causaretur, & omnes se innoxios dicitarent, Regredimini, inquã, in memoriam

IV.

aut antè acti, & annales vitæ vestræ recognoscite; fortè iam olim aliquid peccâstis, nec dum expiâstis. Hic illi facti calumniarum sorori factam, & ademptam hæreditatem. Tertius depontanum illum à se in aquas præcipitarum dixit. Extorta à singulis confessione, aperui, quæ cognoueram de alijs, quæ illi narratione attolenti formidare cœperant vindictam diuinam.

V.

Insequenti die Quæstor omnes ad publicum Tribunal adduci præcipit; vbi, spectante toto populo, rotarum gyris adstricti diuque excarnificati facinora sua omnia ediderunt; cædes, adulteria, calumnias; lataque sententia, me præsentem, in furcam acti animas exhalârunt. Quid mihi tunc animi, quis sensus ac trepidatio fuit? Lictores enim, age puer, inquiunt, non ita quæstionem, vt nuper, euades; quibus ego externatus mortuo propior, quam viuo videbar. Dein prætor, puerum, inquit, veste spoliare, spoliatam loris à manibus pedibusque distendite, neruisque bubulis mactate. Hic ego calum mille votis onerari, Deumque infirmis precibus placare conatus, religionem professurum spondidi, si me præsentem supplicio eximeret, & vinculis expedito salutem expediret. Audire mox Dei elementia visa lacrymabiles gemitus meos. Ex Concilio Iudicem primus monet prætorum; vt, si videretur, in aliud tempus cognitionem reijceret meam causam. Prandij horam esse, reducor ergo oneratus ferro in vincula, aliosque dies quinque supra viginti in custodia solus exigo. Cùm ecce tibi rursus ille iuuenis (haud dubiè tutelaris Genius) mihi iam tertium adstat & compellans: satisne credis iam, inquit, iusto Dei Iudicio mundum administrari? Nec quidquam contra æquitatem ab eo fieri? plus satis, inquam, intellexi *Mirabilia opera Domini, & inuestigabiles vias eius*. Nec enim tantùm intellexerat, quàm iusto Dei Iudicio in carceris sui socios fuerit animaduersum; sed prima statim vice, quæ Angelus ei apparuit, digitum intendit ad causam tantæ calamitatis, miserum scilicet pecus, quod crebra lapidatione confecerat; quam causam ipse etiam ceteris captiuis ingenuè detexit.

VI.

Nam mense vno antè, quàm in carcerè daretur, quid fecerit ipse sic narrat: Cùm puer, inquit, sanè malè moratus, iussu parentum suburbium peterem, reperi tam in salu buculam scetvgravidam

quidam cœpi crebra lapidum insectatione eò vsque persequi, donec
 onere ventris & cursu fatigata concideret. Mortua feris per no-
 ctam in pradam cessit. Ego cœptum profecutus iter obuiam ha-
 bui iuuenœ dominû, vltimæ sortis & fortuna hominem, sollicitè
 pecudem amissam vestigantem, meque peramanter salutantem;
 rogantemque an aberrantis alicubi bouis vestigia in silua depre-
 hendissem? Ego, vt me extra suspicionem facti ponerem, nul-
 lo dignatum responso, insuper etiam contumelijs oneratum di-
 misit. Altero post mense eandem viam remetiri iussus in nemore
 à nocte interceptus, & his malis exceptus sum, Deo delictum
 vindicante. Postquam ergo & agnouit malum suum meritum,
 & socijs vinculorum id aperuit, tandem tertiâ vice apparenti
 Angelo, laudata diuina æquitate, supplex factus, obsecro
 Domine, dixit, qui me tam clementi affata in vltimis his peticu-
 lis & ærumnis meis dignatus es, asserere me ex vinculis in pristinam
 libertatem, ego tibi vicissim totum vitæ meæ animum deuoueo de-
 spondeoq̄; monachum profitebor, & in omni vitâ sincera fide
 Deo seruiam. Subridens ille: semel dumtaxat adhuc ad Tribunal
 sisteris, & missionem accipies. Ah Domine, inquam, minas &
 plagas Iudicis pertimesco, & reformido. rursus ille placidè: tam
 grauitè te peccasse non oportebat; nunc quoniam, ob improbi-
 tatem tuam, tu ipse te his calamitatibus implicasti, quid agam?
 Enimuerò non multa patieris, succedet huic nouus prætor, qui
 te missum faciet; & cum dicto recessit. Anxius ego propter e-
 uentus incerti expectationem. Post quartum diem nouus Prætor
 magistratum init, parentibus meis familiariter notus, qui octa-
 uo, quàm inierat præturâ, die quærit ex præfecto Carceris, quos
 teneret in vinculis. Neminem, inquit, præfectus, præter pue-
 rum. Productum in quæstionem agnoscit, & nihilo secius ex le-
 gum præscripto causam cognouit, & absolutum dimittit. Ego
 præter expectationem absolutus rectâ in montem profectus ad
 venerandi senis pedes procubui, statq̄; vitæ & discriminis expli-
 cato in verba religionis & monachi iuravi. Hæc ferè pleraq̄; Ra-
 derus, post supra nominatos. Quæ clarè commonstrant, homi-
 nes sæpe se ipsos fallere, dum putant, se innocentes. Etsi enim
 in ea re non deliquerint, ob quam carceri addicuntur, aut alio

facto accusantur, damnantur, puniuntur; tamen Deus scit, videtque eos aliunde poenam commeruisse, qua proinde illos sinit plecti. Itaque si cui malè aliquid succedit, si mittitur in lapidinas, si venit ad Charontis ianuam, si fit vel hosti miserandus, si malis mala succedunt; non dicat, se innocentem pati. Esto non fecerit, quod fecisse dicitur; tamen aliquid patrauit, ob quod nefastum diem est meritus. In titulo homines errant, non errat Deus in supplicio. Immodò sæpe, ubi culpam vel nullam, vel non nisi exiguam agnoscit quispiam, ibi diuina statera scelus reperit, Ephram ludens vaccam occidit, & ecce quam diuturno carcere, quantoq̄ tormentorum, ac ipsius mortis discrimine ludum illum luit? Ludunt & alij quotidie; sed ita ludunt, vt ij, qui excubias agunt in Naupacto: rident, dum peccant; vt, dum non peccant, fleant. Sinit enim Deus iustissimè iniurias iniurijs compensari.

VII.

Sim. Meta-
phrasos. 1.
Iulij.

Simile quiddam accidit magno illi alioquin eremita Ioanni, qui ob minùs grauem causam, iustam tamen, vt Simeon Salus indicauit, iam duci iussus erat. Historia apud Simeonem Metaphrastem his verbis narratur: *Malefici quidam fecere eadem, acceptumq̄, corpus per fenestram proiecere in domum prius dicti viri, maxime pij, & Dei amantissimi. Cum itaque non paruum exortus esset tumultus, res delata est ad Magistratum. Is verò tulit sententiam, vt in furca suspenderetur dominus Ioannes. Cum ergo abires ad mortem, nihil apud se dicebat aliud, nisi: DEVS Sali adis mibi in hac hora. Cum Deus autem vellet eum seruare ex tali speophantia, venit quidam, & dicit Abbati Simeoni: O miser, ille tuus amicus dominus Ioannes ducitur ad furcam. Certè si moriatur, tu fame morieris: Nam nemo tui curam gerit vt ille. Dicit verò ei quoq̄, quem admodum sit contextum crimen cadis. Cum se itaq̄, tamquam stultum gessisset Abbas Simeon, dimisit eum, qui hoc illi dixerat, & secessit in locum occultum, ubi semper orabat: quem nemo sciebat, nisi amicus eius, pius, & DEI amans Ioannes. Flexusq̄, genibus Deum rogauit, vt ipse liberaretur à tali periculo. Cumq̄, ij, qui eum eduxerant ad suspendium, peruenissent ad locum, ubi erant posituri eis furcam, ecce occurrunt equites & dicunt, vt is soluatur: quoniam inuenti erant, qui eadem re verà fecerant. Absolutus itaq̄, recta cucurrit ad locum, ubi sciebat Abbatem Simeonem semper orare. Cumq̄, eum vidisset procul manus ad calum*

ad calum extendentem, extimuit. Iurabat enim, se vidisse globos igneos, ab ipso in calum ascendentes, & circa eum in orbem tamquam clibanum ardentem, adeò ut non appropinquàrit, donec perfecisset orationem. Cum is autem conuersus eum vidisset, ei dixit: Quid est, Diacone Ioannes? prater dimensum bibisti? sed vade, ora. Hac autem tibi accidit tentatio, quoniam venerunt ad te duo pauperes: Cumq̄ tibi suppeteret, quod eis dares, eos es auersatus. Non enim tua sunt, qua das, ò frater. An non credis ei, qui dixit, illum qui elargitur, esse centuplum accepturum in hac vita, & in futura possessurum esse vitam aeternam? Atq̄ se credis quidem, da. Si autem non das, manifestum est, te Domino non credere. Ecce verba Sali, id est, fatui, vel Sapientis potius Sancti. Accidunt multa mortalibus mala, capiuntur, in vincula compinguntur. Non putent se innocentes. Si in re alia nulla deliquerunt, fatis est, fuisse immisericordes. Qui obturat aurem suam ad clamorem pauperis, & ipse elamabit, & non exaudietur. Nec sanè Ioannes diaconus, sed Salus pro eo orans auditus est. Tantum porrò crimen in homine alioqui Sancto, Ioanne diacono, iudicatum est, non dedisse egeno cum posset, vt furcà illi fuisset expiandum. Quàm multi non dant, cum possent? parui id faciunt? Audiant Ambrosium: Hoc est occidere hominem, vita sua ei subsidia denegare. Caue, ne inter oculos tuos includas salutem inopum: tamquam in tumulis sepelias vitam pauperum.

PROV. 21. M.

S. Ambrosius
Psalm. 118.

VIII.

Vidistis iusta iudicia Dei, quibus Ephram sibi, virum tam sanctum præparauit, & Ioannem exercuit? Vestri imaginem vidistis: quippe & vos Deus vult ad gloriam comparare. Audiant & ruminent has historias animalia munda; immò & immunda, vt munda fiant. Audiant & expendant diuinam in ira clementiam, quicumque, dum vestem, pecuniam, equum, aut aliud perdidit, dum grando fruges percussit; dum alter innocentes calumnia affecit, infamia foedauit, etiam apud iudices, falsa accusatione damnatum intulit, vincula procurauit; qui vicinos habeat conuicijs assiduis lacescentes, asperum dominum, crudelem maritum, rixosam coniugem; qui etiam ab hoste capti rigidè barbaramente tractantur; qui aduersa hæc impatienter ferunt, angere eanesunt, sibi capillos euellunt, vnguibus genas lacerant, fient, eiulant, solatium nullum admittunt; queruntur vbique, irascuntur.

irascuntur.

irascuntur, excandescunt, blasphemij Deum aggrediuntur & maledictis; in omnes eius creaturas execrationem spargunt; immò desperant, ac Deum sui oblitum arbitrantur. Audiant, inquam, has historias, & discant, in rebus aduersis, non iacturam fortunarum, honorum, nominis, valetudinis, libertatis, non calumniantes, non ipsam calumniam, aut iniuriam, sed altiora Dei consilia considerare. Non culter, sed animus chirurgi est aspi-ciendus. Sæpe in brachio aperitur vena, vt febrilis ardor abeat e capite. Pisces sunt in mari, teste D. Ambrosio alijsque, qui Aquiloni-bus vnda sursum ac deorsum vertentibus, procellosissimis in-tempestatibus, ne in exitium abripiantur, rupi adnatant eique, coniunctissimè adherent, donec desæuiant vnda, & ad pristinam redeant tranquillitatem. Inter mortales quoque sæpe vasaniunt ventri, & horridæ tempestates excitantur. Alij linguis, alij dexte-ris; alij verbo, alij ferro vulnerantur; quid tunc faciendum? ad diuinam prouidentiam iustitiamque, recurrendum est; neque ab ea, latum vnguem recedendum, donec tempestas serenetur. Ita fecit David, qui maximis malis agitatus dixit: *Mibi adharere Deo bonum est, ponere in Domino Deo spem meam.* Assonat D. Augustinus inquit, *Cum inhaesero tibi ex omni me, nusquam erit mihi dolor, & labor, & vna erit vita mea plena te.* Non dolebo, tamquam de iniuria, sed tamquam de medicina gaudebo; memor illius: *Mala, quæ nos premunt, ad Deum ire compellunt,* sicut Ephraimium compulerunt. *Prouidentia Dei omnia gubernantur,* ait D. Hieronymus, *quæ putatur poena, medicina est.* Amara sæpe medicina est, nec tamen repudiatur, tantus est amor sanitatis: Non aspiciat ægrotus manum serui porrigentis potionem, sed artem Medici illam præseribentis. Quare & nos, cum sanamur, dicamus; *Calicem, quæ dedit mihi Pater, non vis, vt bibam illum?* Esto porrigant illum Iudæi, Pater tamen dedit, à Patre nihil est Filio formidandum. Itaque nulla salubrior in aduersis cogitatio est, quàm Dei filijs suis omnia salubriter prouidentis. Non aspiciendi inimici, sed Deus amicus permittens inimicos, vt in nos insurgant; qui eis solum dat potestatem nocendi, non voluntatem; voluntate autem mala eorum vitur, sicut medicus viperæ veneno. *Sola est diuina vis,* ait Boëtius, *cui mala quoque bona sunt, cum ei competenter vrendo,*

Psal. 72. 28.

S. Augustin.
lib. 10 Con-
fess. c. 109.S. Hieronym.
super Ezech.

Ioan. 18. 11.

Boët. 1. 4. de
Consol. Phil.
prof. 6.

utendo, alicuius boni elicit effectum. Cùm ergo malus nocet, sua voluntate nocet, non sua potestate: voluntas mala est ab illo, potestas, non est ab illo, sed à Deo, qui illi, bono fine, dat potestatem exercendi malam voluntatem. *Sauiant modo inimici*, ait S. Augustinus, *humilient, faciant non quidquid volunt, sed sicut desuper permittuntur, non quòd Deus det illis voluntatem nocendi, sed potestatem. Vnusquisque enim malus apud se habet voluntatem nocendi, ut autem possit nocere, non habet in potestate. Ut velit, iam rem est: ut possit, occulta dispensatione providentiæ Dei, in alium permittitur ad poenam, in alium permittitur ad probationem; in alium permittitur ad coronam. Ad poenam, quo modo permisi sunt alienigena capere populum Israel, quia peccauerunt in Deum. Ad probationem permisus est diabolus in Iob: probatus est autem Iob, confusus est diabolus. Ad coronam verò permisi sunt persecutores in Martyres. Sæpe etiam ad poenam, non illius culpæ, quæ ab aduersario impingitur; sed illius, quæ à patiente ignoratur.*

S. Augustin.
in Plal. 29.

Hæc talia si considerassent, ob aduersa & persecutiones vel laqueo, vel gladio, vel simili desperatione perdit, malis benè vsi ad frugem rediissent. Redijt Ephraim, agnouit enim Deum in castigatione amantem, non ex odio castigantem. *Crudelis est medicus*, ait Hipponis Antistes, *qui exaudit hominem, & parcat vulnere, & putredini. Matres, quo modo fricant in balneis ad salutem filios? nonne paruuli clamant inter manus earum? Illa ergo crudeles sunt, ut non parcant, non exaudiant lachrymas? Nonne sunt plena pietate? & tamen clamant pueri, & non eis parcitur. Sic & Deus noster plenus est charitate; sed idèò videtur non exaudire, ut sanet, & parcat, in sempiternum. Quàm utilis hæc vsura, expendere denarium, ne expendamus talentum. Amat Deus, quos sic castigat. Qui autem castigantem odit, neque Deum amat, neque seipsum: immò malum geminat, cùm impatientia nouum mereatur. Pulchra in hanc rem fabula narratur. Solebant quodam in oppido à certis cœtibus excludi omnes quacumque corporis parte vitiiati, erantque constituti, qui de illorum (si qui fortè obrepisse comperirentur) singulis vitijis, multæ nomine, singulos numos exigent. Hi aliquando in claudum inciderunt, exegerunt igitur ab eo multam, quam, leuem licet, noluit dare; cùm ergo renitentem inuaderent atq; in-*

IX.

S. Augustin.
in Plal. 33.

iectis manibus comprehenderent, animaduenterunt, etiam esse scabiosum. Duos ergo iam ab eo postulabant nummos. Etiam tunc illo refragante, apparuit quoque lippitudo oculorum: Tum isti, iam tres dabis nummos, inquit. Egone? ait ille, pugnabo potius. In luctâ illâ detecta est hernia quoque. Tum exegere tandem nummos ab eo quatuor, qui si vnum dedisset, liber ire potuisset. Sic plurimi leuibus malis impatienter toleratis, grauiora, & conduplicata sibi accerfunt, quemadmodum fertur Laomedonti quondam accidisse, qui equis traditis, quos Herculi promiserat, se, & suos conseruare potuisset, quibus denegatis, non illos postea solum, sed etiam vrbe vi rapta regnum amisit. Pari pacto, qui castigari à Deo nolunt, ob sua delicta, nihilominus castigantur, & regnum insuper celorum amittunt.

X.

At culpam non agnoscis? Nec Ephram agnouerat; beneficium fuit, plecti, vt agnosceret. Multi periculosissime ægrotant, qui se sanissimos arbitrantur. Primus sanandi gradus est, morbum patefacere. Deus dicere potuit: *Quis me arguet de peccato?* Nos id dicere non possumus. *Quis enim*, ait S. Augustinus, *ægrotat in hac vita? quis non longum languorem trahit? nasci in hoc corpore mortali, incipere ægrotare est.* Insanus est, qui hie se sanum iudicat. *Si dixerimus quoniam non peccauimus; mendacem facimus eum, & verbum eius non est in nobis.* *Quis me arguet de peccato?* ais. Angelus tuus, diabolus tentator tuus, conscientia tua te arguet de peccato: ipsa Dei pœna te arguet; quæ plerumq; homini scelerum memoriam refricat. Ita fratres Ioseph, post triduanum carcerem, proditores habiti, quamuis nullius sibi prodicionis conscij, locuti sunt ad inuicem: *Merito hac patimur, quia peccauimus in fratrem nostrum, videntes angustiam anima illius, dum deprecaretur nos, & non audiuimus: idcirco venit super vos ista tribulatio.* E quibus vnus Ruben, ait: *Numquid non dixi vobis: Nolite peccare in perurum: & non audistis me? en sanguis eius exquiritur.* Diu antè factum crimen sciuerant nondum esse deletum è memoria: cuius omne malum vindictam interpretabantur. Ita & Ionas coortata sua tempestate: *Tollite me, ait, & mitsite in mare, & cessabit mare à vobis: scio enim ego, quoniam propter me tempestas hac grandis venit super vos.* Vtinam & nos hunc spiritum haberemus! quam quis

Ioan 8. 46.

S. Augustin.
in Psal 102.

1. Ioan. 1. 30.

Genes. 42. 21.

Ion. 1. 12.

æquis animis aduersa omnia exciperentur? Dicuntur de te, quæ numquam cogitasti? discute sinum & vide, an non & tu de alijs dixeris aliquando, quæ non cogitarunt. Suspiciantur te homines iniustum, furem, impurum? examina conscientiam, an non & tu talia de alijs fueris suspicatus? Fraude circumuentus es? in pectore tuo circumspice, an non & alijs à te fuerint circumuenti. Forum tuum alijs polluit? sed tu quoque antè forum alterius polluisti. Deicit te de dignitate, de loco, de officio alijs? alios prior ipse deiecit, aut longè designasti grauiora. Sed in hoc aut illo facinorum genere iniuriam pateris? iniuriam iniurijs scito fuisse compensandam: si nocens esses, de quo accusaris, non antiquum tuum crimen, sed illud ipsum lueres, de quo accusaris. Noli ergo Deum urgere de peccato, aut de iniquitate, sed te ipsum, si exagitaris; culpam agnosce, si pœnam sentis. Quòd si culpa est tibi occulta, scito nihilominus à Deo iustissimo neminem frustra puniri. Audi ipsum Apostolum: *Nihil mihi conscius sum, inquit: sed non in hoc iustificatus sum, qui autem indicat me Dominus est.* Plus videt, quàm tu, ò homo, plus illi crede, quàm tibi: & quoties iratum animaduertis, sancti illius verbis illum placa: *Domine lux mea, inimici mei de me fecerunt quacumq; voluerunt; percusserunt, nudauerunt, polluerunt, corruperunt, vulnerauerunt, & occiderunt me, quia recessi à te: itemque: Domine quoniam tu es, qui fecisti me, noli exterminare me, tantum cade ut proficiam, non ut deficiam, tantum tunde ut producar, non ut comminuar.* Hoc discrimen est inter testam & aurum; testa cum tunditur, frangitur; aurum etiã tustum extenditur. Sic homines prauis pœnis sunt peiores & pereunt; probati, cum castigantur, emendantur. Et multi malis docti, cum Ephraim mundo nuntium remisserunt; ne rursus peccantibus aliquid deterias contingeret; vel saltem isti sapuerunt.

Qualem ego virum cognoui, in quo eruditio cum ingenio certabat, qui eum ad perpetuum carcerem damnatus, in se descendisset, Dei cœpit agnoscere iudicia, ac me audiente ingenue dixit, se in libertate constitutum cogitasse; enimvero, an Deus esset, saepe dubitasse. Carcer ergo, in quẽ alia de causa coniectus, de qua conuictus non est, illi dubium exemit, & mentem reddidit. Nam vel ex hac pœna agnouit, esse Deum scelera punientem, neque

1. Cor. 4. 4.

S. Augustinus
lib. soliloq.
cap. 6.

XI.

vidit iam se diuino dumtaxat, sed etiam humano auxilio indigere. Custodia igitur illi schola fuit humilitatis, quam nisi didicisset, ligatis manibus & pedibus in carcerem æternum mittendus erat, quod ex quorundam sententia (licet nonnulli salutem eius in dubio relinquunt) Asæ regi plagis inemendato euenit. De quo legimus: *Agrotauit Asa anno trigesimo nono regni sui, dolore pedum vehementissimo, & nec in infirmitate sua quæsiuit Dominum, sed magis in medicorum arte confisus est. Dormiuitq; cum patribus suis. Nequaquam autem credibile est, eum cum patribus ad limbū abijisse. Debebat namq; Dominum querere in infirmitate sua: idcirco enim immittit Dominus hominibus infirmitates, vt cum sua culpa infirmantur, diuinæ opis imploratione fiant fortiores.*

CAPVT XXXIX.

Sapientissimos quosq; tam Ethnicorum, quàm Christianorum, sponte honorem fugisse, aut reliquisse.

I.



Sque adeò iustas Deus inuenit causas, ob quas hominibus honores neget, auferat, in ignomiam conuertat, siue ita mereantur, siue digni sint laude, vt ipsi etiam homines, si sapiant, ista mundi vana magis, quàm splendida ornamenta suspecta habeant, contempnant, fugiant. *Tolle iactantiam*, ait S. Augustinus, *& omnes homines, quid sunt nisi homines? Quod si perueritas seculi admitteres, vt honoratiores essent quique meliores: nec sic pro magno haberi debuit honor humanus, quia nullius est ponderis fumus.* Huius tamen fumi, hoc est, honoris, famæ, laudis, gloriæ, tamquam boni cuiusdã externi, dominium est quoddã, non quasi homo sit dominus notitiæ, quam alius de illo format, sed quòd quantum quidem ad famam attinet, sit dominus illius dignitatis moralis, qua idoneus est in aliorum mentibus bonam sui æstimationem, aut saltem non malam fundare, & immunitatem habere, ne alius possit malam de ipso opinionem formare. Quod autem ad honorem attinet, homo est dominus iuris ad immunitatem, ne inhonoretur. Hoc ius ad famam & honorem etsi maximi sit faciendum, tamen honor ipse tamquam fumus à plurimis non est maximi factus, sed spretus, & contemptus. Quod cum etiam in Ethnicis possit ostendi, tamen maximè eluxit in Christianis, In.

S. Augustin.
lib 5. de ci-
uit. c. 17.

S Thom. 2. 2.
q 64. a. 5. ad
3. & q 73. a. 4.
ad J. Molin.
tract. 4 de
iust. d 2 Less.
l. 2 de iur.
cap 5. n. 59.
Illefonus
Messia l. 2. de
vera & falsa
glox c. 16.